

bat remaneret intestatum, sic suum per manum nostra disposuit testamentum: In primis de granaria, quæ Via-Domange (*hodie* Vaudemanche) dicitur, ordinatum et statutum ut possessionum suarum termini ab ea nullatenus transferantur; sed eas ut in præsenti possidet, si perpetuo grangia remaneret, perpetuo possidebit. Quod si aliquando acciderit ut infra muros Doschiæ (*hodie* Dosches) terminos dilatare, ita ut juxta se quatuor carrucatas terræ habeat, tunc etiam termini terrarum quæ extra rivum *de Germon* continentur ad voluntatem abbatis et fratrū sanioris consilii poterunt transportari. Dabitur etiam singulis annis per singulas solemnitates, quibus fratres conveniunt ad audiendum verbum Dei, et in festivitatibus S. Bernardi et in anniversario ejusdem Alani de frumento ejusdem grangie libra panis albi per singulos: et si, urgente temporum necessitate, aliqua earam solemnitatum transfertur, aut sermo dimittitur, hujus tamen dispositio statuti nullatenus dimittatur: De vīnea vero *de Valière* dictum est et consensum, quod tota usui cōventus deputabitur, et ne pro cultura hujus cellarii gravarentur, quinque arpena vinearum, quæ in monte de Teneleriis (*hodie* Tennenlières) continentur, quæ sibi emerat idem, eisdem assignavit, ut fructum quem inde reciperen, ad ejusdem cultum vineas resiguerent. Dedit nobis præterea septem calices, et omnes libros suos tam

A claustrales quam ecclesiasticos, statuens et praepi-
piendo disponens, ut de libris et calicibus nullus
extra Ripatorium efferratur, aut quomodolibet aspor-
tetur. Hoc totum factum est hac ratione et consilio
ut si apud Claram-Vallem in sepulcro patrum suo-
rum fuerit tumulatus, totum quod de libris dictum
est ratum permanebit et stabile, sin autem totum
cassabitur, nec ratum nec stabile permanebit. Quod
verbum, licet moleste haberemus, utpote tanti Pa-
tris absentiam non amantes, tamen quoniam res
erat ei pro anima, et cordi sibi erat ab antiquo. S.
Bernardo consepteliri, ut simul resurgeret, licet in-
viti sepulturam concessimus ut rogavit, et omnia
hæc ut dicta sunt et conscripta, ne processu tem-
porum deperirent, sub anathematis inseruitus
interminatione, et sic sigilli nostri impressio-
ne et sui annuli appositione jussimus rororari.
Verumtamen quoniam nihil majus debetur homini,
quam ut dilectionis affectus qui viventi est exhibi-
tus, mortuo non negetur, præsentī scripto adjicien-
tes statuimus, ut cum ex hoc mundo transierit, sa-
cerdotes quinque missas, clerici duo psalteria, laici
tres centum *Pater noster* exsolvent. In anniversario
autem sic agetur, missa pro eo dicetur in convento
singulis annis, divinum officium pro ea die celebra-
bant sacerdotes, clerici quinquaginta psalmos, et
laici centum *Pater noster* exsolvent. Actum anno
Incarnationis Verbi 1182 (3)

(3) Hujus testamenti authenticæ tabulæ, membraneæ, suis sigillis integris munitæ servantur adhuc in Archivio Publico Trecensi.

VITA SANCTI BERNARDI

AUCTORE ALANO.

(Vide Patrologiæ tom. CLXXXV, Opp. S. Bernardi tom. IV.)

ANNO DOMINI MCLXXXVI.

BEATUS PETRUS

CLARÆVALLIS ABBAS OCTAVUS

NOTITIA HISTORICO-LITTERARIA

(OUDIN, *Script. eccles.*, II, 1581)

PETRUS, cognomento *Monoculus*, Clarævallis abbas octavus, natione Gallus, stirpe nobilis, factus pri-
mum monachus Clarævallis, atque inde postquam Gaufridus per electionem ab ecclesia Ignaciensi ad regi-
men Clarævallis transiit, anno 1162 in Gaufridi locum apud Igniacum abbas electus fuit. Cui præfuit